



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 288. Lugentibus & flentibus. v. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

uenerit antequam ad sui amorem peruenit. non fuerunt ista VII. dæmonia metaphorica, quo modo S. Ioan. Chrysoftomus ait: magnus diabolus est peccatum in anima: sed literali sensu fuerunt VII. dæmonia corporaliter eam infidentia. Nec erubuit Dominus talem ad suum adsciscere famulatum, & quidem statum Deuotum singularius: nec illa segnem se in eo gestit agendo, multasque, quæ secundum nomen suum in baptismo nominatæ fuerunt, conuertendo & adducendo ad Christum.

**V**idete magnæ pietatis sinum, peccatores; considerate apertum & vobis misericordiæ gremium, ad vos oculos mentis reducite, & dæmoniacam scæminam in exemplum vobis imitationis anteferte: nolite æstimare quid fueritis, sed quid de Domini gratia esse possitis. Facite quod illa fecit, intime inhælit Dei generici Mariæ, cum illa reperitur aspicere sepulcrum; cum illa redire ad videndum resurgentem Dominum.

§. 287. *Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant. v. 10.*

Pergit sacer scriptor in hac Maria Magdalena prædicanda, Illa iuit & nuntiavit, altera fugit & nemini locuta est. Illa socia indiuisa Mariæ V. Deiparæ, altera socia aliarum scæminarum, Illa fuit nobilissima de castello Magdalo Domicella, altera de Naim olim peccatrix.

**O**Dulcis Iesu, quam benignum, dispari tamen modo & discretione admiranda, te tuis impendis! Hoc tamen communiter seruando, vt quanto quis tuiæ matri venerandæ amplius coniungitur, tanto plus gratiæ ei impendatur. O quam male faciunt prophætæ illi noui, qui docuerunt populos tuam optimam & sanctissimam matrem vili pendere, imo auersari! aquæ ductum gratiæ profecto & sibi & suis discipulis inciderant. Miserere eorum Domina nostra carissima S. Maria.

§. 288. *Lugentibus & flentibus. v. 10.*

Impletum est, quod dixerat Dominus: *plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit.* Nec opus causas lugendi vel flendi in Apostolis &c. discipulis Domini percontari; nimis patent, fugerant, negauerant, benefactorem maximum amiserant & de eo desperabant.

**O** Domine, lugeam & ego peccata mea, quæ superant & damna & peccata Apostolorum. fleam tui amissionem millies & millies procuratam. Eheu! Dona gratiam per passionem tuam sanctam.

§. 289. *Et illi audientes, quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt. v. 11.*

Mira res, tot & tantæ fabulæ & falsitates auide creduntur ab hominibus